

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Concilium Saltzbvrgense II. Qvo Statvta Qvaedam Poenalia declarantur,
anno Domini MCCCX. celebratum tempore Clementis papae V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

HENRICUS
IMP.
CLEMENTS C. SALTZBURGENSE II. HENRICUS VII. 693
P.V. IMP.

ANNO CHRISTI 1310. ad solutionem decimæ istius per censuram ecclesiasticam poterunt coarctare. Item decima fiat de bonis ecclesiarum, hac taxatione præmissa, ut tempus æstimationis soluendæ decimæ bladi & vini sit inter festum sancti Michaelis & sancti Martini. De caseis autem soluatur decima, sicut prælati consueuerunt denaria suis rusticis loco caseorum recipere, in festo sancti Georgii secundum ius & terræ consuetudinem.

CONCILIVM SALTZBURGENSE II.

QVOSSTATVTA QVÆDAM POENALIA declarantur, anno Domini MCCCX. celebratum tempore Clementis papæ V.

DECLARATIONES STATVTORVM IN Concilio prouinciali domini Conradi archiepiscopi Saltzburgenfis, anno MCCCX.

P R A E F A T I O.

Nos Conradus Dei gratia sanctæ Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, Vvernhardus Patauiensis, Ioannes Brixinensis, Henricus Gurcensis, Albertus Chymensis, Fridericus Secouensis, Vvernhardus Lauentinenfis, ecclesiarum episcopi, in hoc facrofanco prouinciali Concilio Saltzburgensi congregato, de consilio & consensu procuratorum venerabilium Frisingensis & Ratisponensis episcoporum, plenum ad hoc mandatum habentium, ac assensu prælatorum Saltzburgensis prouinciae in hoc Concilio aggregatorum, nec non procuratorum assensu, huius sacri approbatione Concilii, quædam statuta poenalia priorum prouincialium Conciliorum ex certis & legitimis causis, ut animarum periculum caueatur, taliter duximus moderanda.

694 CLEMENS P. V. CONCILIVM HENRICVS VII.
CAPITVLA.

I.

Primo statutum de clericis tabernariis , quod incipit: Clericus non viator, cum hoc moderamine declaramus , quod causæ rationabiles & honestæ intelligi debeant istæ. Quod si clericus non viator in sacris constitutus, aut religiosus, tabernam intrauerit ad honorandum quempiam amicum , dominum, aut quamcumque honorabilem personam, vel si impræmeditate intret, oblitus constitutionis, seu ex quacumque necessaria vel utili causa, non voluptuosa, ibique biberit vel comederit, poena statuti præhabiti non ligetur. Hæc tamen moderatio ad lusores non extendatur.

II.

Item statutum de rationibus faciendis, quod incipit : Item ne , taliter mitigamus , quod reuocata poena suspensionis ab ingressu ecclesiæ, prælatus qui collegio aut tribus per collegium deputatis saltem semel in anno non fecerit rationem, & a claustris officialibus præsentibus aut vicinis claustris, & a remote distantibus semel in anno non audierit rationes , ab administratione temporalium sit suspensus: quam suspensionem si per tres menses post annum rationibus deputatum sustinuerit animo indurato , extunc arbitrio ordinarii puniatur.

III.

Item iuxta constitutionem domini Bonifacii, quæ est talis: Clerici qui clericali ordini non modicum detrahentes, se ioculatores seu galiardos faciunt, aut buffones , si per annum artem illam ignomi-

CLEMENS
P. V. SALTZBURGENSE II. HENRICVS VII. 695
IMP.
ANNO
CHRISTI
1510. niosam exercuerint ipso iure: si autem tempore
breuiori & tertio admoniti non resipuerint, ca-
reant omni priuilegio clericali. Monemus huius
approbatione Concilii omnes & singulos tales, vt
talem habitum & vitam non assumant, & assum-
ptam deponant infra tres menses, quorum vnum
pro primo, alterum pro secundo, & tertium pro
tertio termino peremptorio assignamus, si poenam
prædictam, quam ipso facto incident, voluerint
euitare.

IV.

Item monemus abbates ordinis sancti Benedi-
cti & præpositos & prælatos sancti Augustini to-
tius nostræ prouinciæ, vt prouincialia capitula sua,
vsque ad festum purificationis proxime futurum
celebrent, iuxta formam a sacris Canonibus eis da-
tam, & deinde de triennio in triennium iuxta for-
mam sacrorum Canonum iam prædictam.

Clemens, &c. Pastorale cura solicitudinis no-
bis diuinitus super cunctas Christiani populi na-
tiones iniuncta, nos vigilare, remedii subiecto-
rum eorumdem periculis obuiare, ac scandala re-
mouere compellit, sane quam ex constitutione *fe-
re. hō. pap. p. 8. nostri, quæ incipit: Clericos lai-
cos: & ex declaratione seu declarationibus ex il-
la postmodum subsecutis nonnulla scandala, pe-
ricula magna, & incomoda grauia sunt secuta,
& ampliora sequi, nisi cleri remedio succurratur,
præsumitur verisimilis in futurum, nos de consilio
fratrum nostrorum constitutionem & declara-
tionem, seu declarationes prædictas, & quidquid

*f. felicis
recorda-
tions Bo-
nifacii pa-
pæ VIII.
prædeces-
toris

ex eis securum est vel ob eas penitus reuocamus,
 & eas habere volumus pro infectis, volentes & fir-
 miter statuentes illud contra quoscumque laicos
 exigentes seu extorquentes ab ecclesiis ecclesiasti-
 cisque personis tallias seu collectas, aut exactiones
 quascumque, & contra dantes ad id faciendum au-
 xilium, consilium vel fauorem, nec non circa præ-
 standas subuentiones laicis ab ecclesiarum prælatis,
 & aliis viris ecclesiasticis inuiolabiliter obseruari,
 quod super his a prædecessoribus nostris in Late-
 ranensi & generali Concilio, quæ nos, sub obte-
 statione diuini iudicii præcipimus obseruari, di-
 stricte salubriter est prouisum.

Data * Lud. Kalendis Februarii, pontificatus nostri <sup>Lug-
duni,</sup>
 anno secundo.

HÆ SVNT CONSTITUTIONES DOMINI
 Conradi venerabilis archiepiscopi ecclœ Salzburgensis,
 de contractibus matrimonialibus.

CONTRACTIBVS matrimoniorum, qui nonnunquam
 contra eorumdem honestatem, ac iuris prohibitio-
 nem in graue animarum periculum clandestine celebran-
 tur, salubriter occurrere cupientes, prioribus statutis su-
 per hoc editis adiicimus, & de consilio sacræ Synodi sta-
 tuentes irrefragabiliter ordinamus, vt quandcumque
 sponsalia seu matrimonia contrahuntur, non minus quam
 sex personæ honestæ, ac fide dignæ de vicinia & saltē pa-
 rochia amborum, vel vterius contrahentium, aut loci,
 in quo contractus agitur; inter quas ad minus tres virilis
 sexus habeantur, & in ipso contractu debent pro testibus
 adhiberi, quæ non sunt de contrahentium familia, vel eis-
 dem in vna domo cohabitantes, seu domus, in qua fit con-
 tractus huiusmodi, inquilinæ. Quod si secus fuerit atten-
 tatum, contrahentes, operam dantes, siue scienter præ-
 sentiam exhibentes, & sponte in suis dominibus hæc fieri
 patien-

CLEMENS SALTZBURGENSE II. HENRICVS VII. 697
P.V. IMP.

ANNO CHRISTI 1310. patientes, sententiam excommunicationis, quam & in his scriptis in eos ferimus, incidente ipso facto, in quos etiam alia pro iusto nostri motus arbitrio animaduerti poena, qua plus timeatur, volumus & debemus: quam sententiam absolutionis nobis duximus reseruandam. Volumus etiam ut post contracta quocumque modo sponsalia vel matrimonia, ipsi contrahentes, vel aliqui de ipsorum mandato speciali, contractum huiusmodi infra mensem, a die eiusdem numerandum, plebanio vel plebanis ipsorum contrahentium, seu, si copia ipsorum haberi non poterit, vicariis eorumdem duabus vel tribus personis idoneis presentibus debeat publicare. Contrauenientes sententia excommunicationis, quam in his scriptis prouuntiamus, inuolui volumus ipso facto; alias pro excessu grauitate per nos acrius puniendos, eorumdem absolutione nobis libere reseruata.

De clericis officialibus.

Iuris vestigiis inherentes, in hac sacra Synodo denuniamus publice, & sub poena clericalis priuilegii prohibemus, ne clerici religiosi vel saeculares, cuiuscumque ordinis vel praelatura, procurationes saeculares, sub quibuscumque principibus vel aliis laicis assumant, seu ante assumptas retinere presumant, nec sub nomine pignoris, vel quocumque colore quæsito, sint actores, procuratores, conductores, iustitiarii, vicecomites, praepositi, administratores, officiales, quocumque vocentur nomine, in ciuilibus, vel ministri: quia nemo militans Deo se debet negotiis saecularibus implicare. Si qui vero iuris & nostræ prohibitionis transgressores haec vel aliquid horum de nouo assumperint, seu ante assumpta non deposuerint statim per omnia & in totum, ipso iure, sententiam excommunicationis incurvant, absolutione nobis, si digne penituerint & satisfecerint, reseruata. In qua excommunicatione si per mensem animo persistenter indurato, ipsos extunc a beneficiis, dignitatibus, personatibus & administrationibus ecclesiasticis quibuscumque ac omni priuilegio clericali exutos & priuatos esse volumus ipso facto, nec ad ea vel similia in posterum aliquatenus admittendos; punitionem illorum qui ante hanc nostram

Concil. Tom. 28.

Trr

698 CLEMENTS P. V. CONCILIVM HENRICVS VII.
IMP.

ordinationem, quam extra Saltzburgensem, Chymensem, Bambergensem, Gaizensem archidiaconatus extendi ad praesens volumus, huiusmodi prohibita illicite gerere præsumperint, nostræ districcionis iudicio referuantes.

ANNO
CHRISTI
1514.

Licet contra quosdam sub vagorum scholarium nomine discurrentes, scurriles, maledicos, blasphemos, adulatioibus importune vacantes, qui se clericos in vituperium clericalis ordinis profitentur, nonnulla pio zelo pro salubri eorum correctione emanauerint instituta; ex his tamen nullus fructus aut modicus iam prouenit, publice nudi incedunt, in furnis iacent, tabernas, ludos & meretrices frequentant, peccatis suis victum sibi emunt, inuentati sectam suam non deserunt, sic ut de eorum correctione nullus remaneat locus spei. Ideoque prioribus statutis pro salute animarum suarum, quam querimus, saluis, adiicimus & denuntiamus in hac sacra Synodo, sub pena priuilegii clericalis publice prohibentes, ne quis sectam vagorum scholarium reprobata assumat, seu in ea permaneat, vel eam exercere præsumat. Alioquin eos, qui huiusmodi sectam ante hanc nostram constitutionem temere assumptam infra mensem a tempore promulgationis eiusdem constitutionis numerandam penitus non dimiserit, & illos, qui nunc assumere præsumperint, ipso facto statim omni priuilegio clericali exui præcipimus & nudari, volentes, ut quandocumque a monasteriis, ecclesiis, vel clericis, cuiuscumque rei importuni aut violenti fuerint exactores, ipsis eosdem liceat nostra auctoritate capere, inuocato ad hoc, si opus fuerit, brachio seculari, & eos captos nobis vel archidiaconis nostris assignari volumus, nostro carceri, ut nobis videbitur, includendos, ut sic creatus omne excludat priuilegium in his, quos vitalitas vita eo nec frui patitur nec gaudere.

s VII.

Chymen-
atus ex-
ta illicite
cio refer.

im nomi-
os, adu-
n vitupe-
zelo pro-
ta; ex his
, publice
& mere-
nt, inue-
m corre-
ribus sta-
nus, fal-
odo, sub
e quis se-
seu in ea
uin eos,
utionem
omulga-
itus non
int, ipso
imus &
s, eccl-
violent
toritate
eculari,
ari vo-
endos,
quos vi-

CLEMENS
P.V. SALTZBURGENSE II. HENRICVS VII.
IMP. 699

ANNO
CHRISTI
1510.

MITIGATIO SEV MVTATIO
pœnæ super capitulum,

Contractibus matrimoniorum.

SALVTI animarum paterna sollicitudine cauere volentes, constitutionem de clandestinis matrimoniiis dum per nos editam, quæ incipit, *Contractibus matrimoniorum, &c.* taliter ex certis causis duximus moderandam.

Hæc mode-
ratio, seu
mitigatio
non est in
codice Ca-
nifiano.

Tollimus quidem, & sublatam esse decernimus, pœnam excommunicationis, quoad omnes articulos constitutionis eiusdem, & quod statutum ipsum alias sub vi præcepti maneat in vigore suo; absolutionem autem illorum, qui ante sublationem huiusmodi pœnam incidunt, eamdem committimus plebanis, ut eisdem, & qui in posterum contra constitutionem prædictam venerint, iniungant stare ad modum poenitentium ante fores ecclesiæ tribus diebus dominicis, vel festiis, quando maior adeat populi multitudo, eosque, qui in hoc contumaces extiterint vel rebelles, puniant ipsi plebani pro facultate cuiuslibet, in aliqua pœna pecuniaria competenti, custodi ad fabricam nostræ ecclesiæ cathedralis Saltzburgi sub certo testimonio assignanda. Et quod circa eosdem plebanos in singulis capitulis & Synodis tam nostris, quam archidiaconorum nostrorum, de hoc inquisitio diligens habeatur, & ad nostram notitiam perferatur plebanorum negligentia in hac parte.

CONCILIVM MOGVNTINVM,
QVO SVB PRÆSIDIO PETRI MOGVNTINI
archiepiscopi iussu pontificis tractata est causa Tem-
plariorum, anno Domini MCCCX. tempore Clemen-
tis papæ V.

NOTA.

* *Concilium.*] Qua occasione quaque de causa hæc Synodus Moguntiæ congregata, & quid in ea gestum fuerit, ex manuscripto quodam codice Nicolaus Serarius lib. 5. in historia Petri archiepiscopi

Concil. Tom. 28.

Causa & a-
cta habiti
Concili.

Tttt ij